

conatus est imitari. Quam melius seraphim sua ipsa admiratione felices, veneratione etiam venerabiles fiunt, veram in ipso habentes gloriam, cui servire regnare est, et apud quem omnis qui se humiliat exaltatur? Et nunc audi quemadmodum his duabus alis ipsum, quod diximus caput Domini ne iniquus ille inspiciat, velare seraphim videantur. Quoties enim sursum dirigit aciem, in angelicam statim felicitatem et gloriam malignus offendit; et offendit oculum pessimus humor, livor proprius, ut penetrare ultra non possit. Sic nimirum quasi gemitu quodam velamine, ne sublimiora prospiciat, invidus præpeditur; ad illorum, quos superiores habere dolet, modo quidem felicitatem, modo gloriam, modo utramque simul, reverberata acie contabescens. Quis enim tam gravis pruritus oculi, quam invidia est? Nec vero aliis livor invidus, quam aliena gloria et felicitate torquetur. Miseria enim, ut aiunt, invidia caret.

11. Sed et pedes Domini, quibus nimirum impenetrabilem iudiciorum ejus abyssum, et dispositionis ejus vias diximus investigabiles designari, duabus æque alis velant seraphim. Ego autem dico, prudentia et fidelitate. Cum enim et fideles pariter ministri sint, et prudentes; sic divina negotia gerunt, et saluti provident electorum, ut malignus ille deprehendere omnino non possit. Ex hoc pedum velamento factum reor, ut nesciens Dominum gloriæ fecerit crucifigi: ex hoc quotidie fieri, ut salutis nostræ negotiis ignorans serviat et invitus, sero postmodum plangens, quod dum obesse voluit, inventus est profuisse. Sic nimirum per administratorios spiritus illuditur ejus astutiæ, quod et fideles sint qui detegere nolint, et prudentes qui norint tegere divinæ erga nos providentiæ et dispositionis arcana.

12. Cæterum sicut e supremis duabus alis nequissimus ille admirationem habuit, sed non veneratio-

nem, ut diximus; sic e mediis quoque spiritualem ei intellectum natura, sed non etiam gratia affectum dedit. Sed nihilominus ex infimis istis facile satis animadvertere est, quam inventus sit fidelitatis expers, non autem similiter caruisse prudentia. Nisi tu forte alium aliquem putas esse, qui dictus est *callidior cunctis animantibus serpens* (*Gen. III, 1*). Forte etiam non incongrue dicimus quoniam eo ipso tam irrevocabilis casus ejus, irreparabilisque collisio fuerit, quod ex his quas diximus alis, sicut in parte dextra nulla adfuerit, sic in læva nulla defuerit. Non ita sane duo illi, quos prophetica nobis visio commendavit stantes, et astantes Domino majestatis. Cujus etiam duabus, ut dictum est, alis caput velant; ipsa equidem sua admiratione, in qua delectantur feliciter ac veneratione in qua sublimiter gloriantur: duabus etiam pedes, fidelitate videlicet atque prudentia. Porro duabus volant, naturæ, ut diximus, perspicacia et efficacia gratiæ. Sane mediam quasi quamdam longanimitatem nudam visibilemque relinquunt, longitudinem dico et benignitatem Dei, ad poenitentiam homines invitantis. Omnibus enim cernere est, quemadmodum solem suum super bonos et, malos oriri faciat, et pluat super justos pariter et injustos. Hac nimirum charitate verus ille Salomon quasi quædam media sua constravit propter filias Jerusalem (*Cant. III, 10*): ut quibus altiora se quærere et profunda vestigare non licet; in his saltem mediis valeant exerceri, et ad subtilium, sublimiumque exinde rerum **955** contemplationem promoveri aliquando mereantur. Cæterum nequissimus ille ex hac visione et in præsentem torquetur acrius, et gravius cruciabitur in futuro. Primum quidem, quod ipsam nobis longanimitatem benignitatis invideat; deinde, quod nequaquam sibi ipsi hac saltem occasione provideat, ut ad poenitentiam adducatur.

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

SERMONES DE SANCTIS.

IN CONVERSIONE S. PAULI.

SERMO I.

Quomodo ad exemplum ejus converti debemus.

1. Merito quidem, dilectissimi, conversio Doctoris gentium ab universitate gentium festivis gaudiis hodie celebratur. Multos enim ab hac radice ramos produisse videmus. Conversus Paulus, conversionis minister factus est universo mundo. Et multos quidem olim in carne adhuc, sed non jam secundum

carne[m] ambulans, prædicationis officio convertit ad Deum; nunc quoque in ipso feliciter vivens, et apud ipsum, ne adhuc quidem cessat ab hominum conversione: dico autem, exemplo, oratione, doctrina. Propterea denique conversionis ejus memoria frequentatur, quod et ipsa quoque memorantibus utilis inveniatur. In hac enim memoria et peccator spem veniæ concipit, ut provocetur ad poenitentiam; et

qui jam pœnitet, perfectæ conversionis accipit formam. Quis desperet ultra pro magnitudine cujuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum et cædis in discipulos Domini, subito factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus: Assurgere jam ad studia meliora non valeo; quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus efflabat, persecutor crudelissimus in fidelissimum repente mutatus est prædicatorem? Magnificæ siquidem in hac una conversione et misericordiæ magnitudo, et efficacia gratiæ commendatur.

2. Subito, ait Lucas, circumfulsit eum lux de cælo (Act. ix, 1-8). O vere inæstimabilis divinæ dignatio pietatis! Illustrat cœlesti fulgore vel a foris, intus adhuc luminis incapacem: qui necdum infundi poterat, divina saltem circumfunditur claritate. Et vox facta est. Lucis et vocis testimonia credibilia facta sunt nimis, nec dubitare est de veritate, quæ sese ingerit per utrasque, oculorum scilicet auriumque fenestras. Sic nimirum, sic in Jordane quoque supra caput Domini et columba apparuit, et vox sonuit (Matth. iii, 16, 17): sic et in monte, quando transfiguratus est coram discipulis, et claritas visa est, et vox nihilominus Patris audita (Matth. xvii, 2, 5): Saule, Saule, quid me persequeris? Vere deprehensus est Saulus: non est dissimulandi locus, non est facultas ulla negandi. In manibus sunt epistolæ crudelissimæ legationis, auctoritatis execrandæ, potestatis iniquæ. Quid me persequeris? inquit. Annon persequatur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? An vero persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud corpus crucis affixere patibulo, et non persequatur eum qui adversus corpus ejus, quod est Ecclesia (est enim corpus ejus etiam ipsa), odio furebat iniquo? Denique si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviores ab eo sustinere persecutionem, qui suggestionem malignam, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit, quam a Judæo qui sanguinem illum fudit?

3. Agnoscite, dilectissimi, et expavescite consortia eorum qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt. Videbatur jam cessasse persecutionis **956** tempus; sed, ut palam factum est, nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo. Et nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utique Christiani dicuntur. Amici tui, Deus, et proximi adversum te appropinquaverunt et steterunt. Conjurasse videtur contra te universitas populi Christiani a minimo usque ad maximum: a planta pedis usque ad verticem non est sanitas ulla: egressa est iniquitas a senioribus iudicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere, *Ut Populus, sic sacerdos* (Isai. xxxiv, 2); quia nec si populus, ut sacerdos.

PATROL. CLXXXIII.

A Heu, neu! Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum! Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, et universam deinceps libere et potestative tradunt incendio civitatem. Misera eorum conversatio, plebis tuæ miserabilis subversio est. Atque utinam sola hac parte nocerent! Esset forte qui Dominica præmonitus et præmunitus exhortatione, daret operam ipsorum non exempla imitari, sed observare præcepta, juxta illud: *Quæ dicunt facite, et ad opera eorum nolite respicere* (Matth. xxiii, 3). Nunc autem dati sunt sacri gradus in occasionem turpis lucri, et quæstum æstimant pietatem. Copiosissimæ siquidem pietatis inveniuntur in suscipienda, imo accipienda, magis animarum cura: sed hæc apud eos cura minor, et de animarum salute novissima cogitatio est. An vero Salvatore animarum gravior ulla esse poterat persecutio? Inique agunt et cæteri contra Christum, multique sunt nostris temporibus antichristi. Merito tamen et crudeliorem eam censet persecutionem pro acceptis beneficiis, et graviores sentit pro potestate, quam propriis sustinet a ministris; licet alii quoque multi contra proximorum salutem multifarie, multisque modis et variis occasionibus agere videantur. Hæc videt Christus, et silet; hæc Salvator patitur, et dissimulat. Propterea dissimulemus et nos quoque necesse est, et sileamus interim, maximeque de prælatis nostris, magistris ecclesiarum. Sic nimirum, sic placet et ipsis ut evadant nunc humana judicia, veniatque semel iudicium grave his qui præsumunt, et potentes patiantur tormenta potenter.

4. Vereor, dilectissimi, ne quis forte sit et in nobis Domini persecutor, quia manifesta docuit ratio, impedire salutem, esse persequi Salvatorem. Quas ego de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum? Merito detractores Deo odibiles describuntur (Rom. i, 30), tanquam persecutores. Quid et is qui exemplo suo ad remissius agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua et murmuratione molestat; aut quocumque modo contristat Spiritum Dei qui in eis est, scandalizans unum de minimis istis credentibus in eum? nonne et hic manifeste persequitur Christum? Ut ergo persecutorum et nomen, et crimen longe sit semper a nobis, obsecro vos, dilectissimi, benignos semper et mites exhibeamus nos, invicem supportantes in omni patientia, et ad id quod melius et perfectius est, alterutrum provocantes. Quis enim servus sufficere sibi putat non persequi Dominum, sed nec obsequi Domino? Quam habiturus est gratiam, si ut non resistit, sic nec assistit quidem? Denique si quis adeo pusillanimis est, ut satis sibi reputet nec persecutorem esse, nec coadjutorem **957** Dei, audiat quid ipse loquatur, *Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit* (Matth. xii, 30).

5. Saule, Saule, quid me persequeris? Et ille:

Quis es, Domine? Hinc profecto datur intelligi quia vere circumfusa erat illi claritas, non infusa. Audiebat Paulus vocem Domini, sed faciem Domini non videbat; quoniam erudiebatur ad fidem: et ut ipse postea docuit, *Fides ex auditu* (Rom. x, 17). Quis es, inquit? Ignotum enim persequabatur, et ideo consecutus est misericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit. Discite ex hoc, fratres, justum iudicem Deum, non modo quid fiat, sed et quo animo fiat, considerare; et cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva scienter delinquere convincatur [*alias, videatur*]. Nemo dicat in corde suo: Levia sunt ista, non curo corrigere; non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis. Paulus quidem blasphemus fuit, sed non in Spiritum sanctum, quia ignorans fecit in incredulitate. Non in Spiritum sanctum dixit blasphemiam; ideo consecutus est misericordiam.

6. *Quis es, Domine? Et Dominus ad eum: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Ego sum Salvator, quem tu persequendo petis. Ego sum, de quo tu in lege tua legis prædictum quod nescis impletum: *Quia Nazareus, vocabitur* (Matth. ii, 23). Et ille: *Domine, quid me vis facere?* Hæc plane, fratres, perfecta conversionis est forma. *Paratum, inquit, cor meum, Deus; paratum cor meum* (Psal. cvii, 2). *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (Psal. cxviii, 60). *Domine, quid me vis facere?* O verbum breve, sed plenum, sed vivum et efficax, sed dignum omni acceptione! Quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione, *Domine, quid me vis facere?* et illud Samuelis, *Loquere, Domine, quia audit servus tuus?* (I Reg. iii, 10). Heu! plures habemus evangelici illius cæci, quam novi apostoli imitatores. *Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, ut faciam tibi?* (Luc. xviii, 41). Quanta est miseratio tua, Domine, quanta dignatio tua! Siccine Dominus quærit, ut servi faciat voluntatem? Vere cæcus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit: Absit hoc, Domine, tu magis dic quid me facere velis! Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam a te, sed a me tuam quæri et fieri voluntatem. Videtis, fratres, quia vera necessaria erat hoc in loco conversio. Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas et perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat. *Quid vis ut faciam tibi?* non ipsi quærant, *Domine, quid me vis facere?* Considerare necesse habent ministri et vicarii Christi, quid sibi præcipi velint: non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus

parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imo in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Hujusmodi itaque, etsi tolerari se videant, et condescendi ac morem geri infirmitati suæ, proficiant, obsecro, pudeatque semper parvulos inveniri, ne quando forte audiant. Quid debui vobis facere, et non feci? et abutentibus patientia et benignitate prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis cumulus justæ damnationis.

7. *Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad illum: Surge, et ingredere civitatem; ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* O Sapientia suaviter vere universa disponens! Eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, ut socialis vitæ commendetur utilitas; et edoctus per hominem discat et ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subvenire. **¶** *Ingredere civitatem.* Videtis, fratres, non sine divino consilio factum esse, ut hanc civitatem Domini virtutum ingrederemini, divinam discere voluntatem. Plane qui te salubriter terruit, et convertit cor tuum ad desiderandam voluntatem suam, ipse tibi dixi: *Surge, et ingredere civitatem.* Sed audi quam manifeste in his quæ sequuntur voluntaria simplicitas et Christiana commendatur mansuetudo. *Apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahebatur ab his qui comitabantur eum.* Felix cæcitas, qua male quondam illuminati in pravariatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur. Sane quod triduo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad eos maxime pertinet, qui noviter sæculo abrenuntiantes, necdum in cœlesti consolatione respirant. Sustineant ergo et ipsi Dominum in omni patientia; orent sine intermissione, quærentes, petentes, pulsantes, quia exaudiet eos Pater cœlestis in tempore opportuno. Non obliviscetur eorum in finem; veniet, et non tardabit. Si triduo sustinueris eum non habens quod manduces, confide quia miserator et misericors Dominus jejunum te non dimittet.

8. Exinde jubetur Ananias manus imponere Saulo; sed tanquam bene eruditus, non continuo acquiescit. Vide enim si non etiam Paulus ipse doctrinam hanc deinde tradidit discipulo, *Nemini, inquit, cito manus imponas* (I Tim. v, 22). *Vidit, ait Dominus (57), virum imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Fratres, Paulus hoc cum vidisset, non continuo illuminatus est. Nunquid non exspectavit Ananiæ manum, qui aventurum eum forte in somniis prævidit? (Act. ix). Hæc dico vobis, charissimi, quia vereor ne quis forte sit inter vos, qui solo se somnio præsumat illuminatum esse; nec jam æquanimiter patitur ad manum trahi, sed ductorem sese profiteatur aliorum. Cui enim necdum administrationis cura injuncta est, cui necdum credita dispensatio, cui

(57) Hæc verbo, parenthesi in Actis inclusa, Lucæ narranti tribuenda, non Christo.

necdum præceptum ut videat, et provideat his qui apertos oculos habentes nihil vident: quid hoc præsumere tentat, nisi quia meditatur inania, et quasi somnia vana sectatur? Caveamus ab hoc vitio, fratres: semper, quod in nobis est, abjecti eligamus esse, et ad manus trahi; mansuetudinem et humilitatem discentes a Christo Domino, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

1. Conversus est hodie Paulus, imo Saulus conversus versus est in Paulum. Siquidem factus est tanquam evangelicus ille parvulus, de quo Dominus ait: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum* (Matth. XIII, 3). Forte enim seipsum dicebat. Nimirum ipse magnus Dominus et laudabilis nimis, ipse parvulus qui datus est nobis; nec tamen magnus interim, sed parvulus exhibetur, ut seipsum faciat gratum et efficax necessariæ parvitas exemplum. Ad parvulum ergo sit conversio tua, ut discas parvulus esse: tu quoque cum converteris, parvulus fias. Enimvero audi, quam evidenter ipsum tibi, in quo constituit formam conversionis, parvulum manifestat, signanter ea quæ sunt parvuli, in seipso imitanda proponens. *Discite a me, inquit, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. XI, 29). Gemina parvitas, humilitas et mansuetudo. Et illa interior, ista exterior parvitas. Utraque tamen non parva virtus est: nempe quam parvulus ille tam magnus unicum magisterium profitetur. Hodie ergo conversus est Paulus, hodie desiit esse Saulus. Hodie factus est humilis et mitis corde. Probat oris confessio cordis

humiliationem, dum clamat. *Domine, quid me vis facere?* Magis autem probat ipsa collatæ gratiæ magnitudo, quæ nimirum tam multa, nisi multum humili, data non fuit.

2. Cæterum mansuetudo, quoniam exterior quædam ¶59, ut diximus, parvitas, et ob hoc manifestior est, tripliciter nobis in conversione hac commendatur. Triplici quidem velut ariete mansuetudo nostra pulsatur; verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuisse. Considerare libet, quemadmodum Paulus super his omnibus in ipsa statim sua conversione tentatus, vere jam Paulus inventus sit, in hac parte vere jam mitis et patiens. *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Durum equidem verbum, verbum increpativum, plenum comminatione. Sane quod ad corpus pertinuit, concussus est et prostratus in terram. An vero et damno quoque probatus est? Et valde; siquidem ipsum ei lumen ademptum est oculorum. *et apertis, ut scriptum est, oculis nihil videbat* (Act. IX, 1-8). Experta est in his tribus et exercitata patientia Job, quem in hac virtute opinatissimum Deus exemplar dedit. Sed vestræ hoc industriæ relinquimus vestigandum. Sufficit nos monere, formam veræ conversionis magna ex parte in hac mansuetudine constitutam: ut pudeat eos, qui conversi esse debuerant, vel in corporum læsione, vel in damno rerum, vel, quod magis indignum est, in verborum injuriis inveniri perversos penitus et aversos.

IN PURIFICATIONE B. MARIE.

SERMO I.

De triplici misericordia.

1. Hodie templi dominum in templum Domini Virgo mater inducit; Joseph quoque sistit Domino, non suum, sed ejus filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit Simeon justus quem exspectabat; Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna processio celebrata est, quæ postmodum exultatione universæ terræ in omni loco et ab omni gente celebraretur. Nec sane mirum, si tunc parva fuit, quando quidem parvus erat qui suscipiebatur. Nullum ibi locum peccator habuit: omnes justi, omnes sancti, omnes fuere perfecti. Sed nunquid hos tantum salvabis, Domine? Crescat corpus, crescat et miseratio. Homines et jumenta salvabis, Domine, cum multiplicaveris misericordiam tuam, Deus (Psal. xxxv, 7, 8). In secunda jam processione præeunt turbæ, turbæ sequuntur; nec virgo portat, sed asellus. Neminem itaque dedignatur, nec ipsos qui computruerunt tanquam jumenta in stercore suo: non dedignatur, inquam, sed si apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum justitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorum, ex hoc jam processione suæ gloria non

censebit indignos. Magis vero et ipsam, quæ tam paucis collata videtur, nobis quoque ab ipso invenire est reservatam. Quidni reservaret posteris, quam et prærogavit antiquis?

2. David, rex et propheta, exultavit ut videret diem istum: vidit, et gravisus est. Alioquin si non viderat, unde psallebat: *Suscepimus, inquit, Deus misericordiam tuam in medio templi tui?* (Psal. XLVII, 10). Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeon, suscepimus et nos, et quicumque sunt præordinati ad vitam: siquidem Christus heri, et hodie, et in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, et nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foras, Domine Deus: nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, et non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christum Domini, ut securus dimittatur in pacem. Quidni dimittatur in pace, qui Christum Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem habitat in cordibus ¶60 nostris. Tu quomodo hinc exhibis, anima misera, quæ ducem itineris Jesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam habent.